



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

Responsio Ad Argymenta Adversariorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

quia sola fide accipimus remissionem peccatorum & reconciliationem, propter Christum, quia reconciliatio seu iustificatio est res promissa propter Christum non propter legem. Itaq; sola fide accipitur. Et si de nato Spiritu sancto sequitur legis impletio.

## RESPONSIO AD ARGUMENTA ADVERSARIORVM.

**C**OGNITIS autem huius causæ fundamentis, videlicet discrimine legis & promissionum, (seu Evangelij, facile erit diluere ea, quæ aduersarij obijciunt. Citant enim dicta de lege & operibus, & omittunt dicta de promissionibus. Semel autem responderi ad omnes sententias de lege potest, quòd lex non possit fieri sine Christo, & si qua fiunt ciuilia opera, sine Christo, non placent Deo. Quare cum prædicantur opera, necesse est addere, quòd fides requiratur, quòd propter fidem prædicentur, quòd sint fructus & testimonia fidei. Ambiguæ & periculosæ causæ multas & varias solutiones gignunt. Verum est enim illud veteris Poëtæ:

ὁ δ' ἀδικῶ λόγῳ,  
Νοσῶν ἐν αὐτῷ φαρμάκων θεῶν σφῶν.

Sed in bonis & firmis causis, vna atq; altera soluta sumta ex fontibus, corrigit omnia, quæ videntur offendere. Id sit & in hac nostra causa. Nam illa regula quam modò recitavi, interpretatur omnia dicta, quæ de lege & operibus citantur.

Fatemur enim scripturam alibi Legem, alibi Evangelium seu gratuitam promissionem peccatorum propter Christum tradere. Verùm aduersarij nostri simpliciter abolent gratuitam promissionem, cum negant, quòd fides iustificet, cum docent, quòd propter dilectionem & opera nostra accipiamus remissionem peccatorum

& n



& reconciliationem. Si pender ex conditione operum nostrorum remissio peccatorum, prorsus erit incerta. Erit igitur abolita promissio. Proinde nos reuocamus pijs mentes ad considerandas promissiones, & de gratuita remissione peccatorum & reconciliatione, quæ fit per fidem in Christum, docemus. Postea addimus & doctrinam legis. Et hæc oportet *ὀρθοτομεῖν*, vt ait Paulus. Videndum est, quid legi, quid promissionibus scriptura tribuat. Sic enim laudat opera, vt non tollat gratuitam promissionem.

Sunt enim facienda opera, propter mandatum Dei, item ad exercendam fidem, item propter confessionem & gratiarum actionem. Propter has causas necessario debent bona opera fieri, quæ quanquam sunt in carne nondum prorsus renouata, quæ retardat motus Spiritus sancti, & aspergit aliquid de sua immundicie: tamē propter fidē sunt opera sancta, diuina, sacrificia, & politica Christi regnum suū ostendentis coram hoc mundo. In his enim sanctificat corda, & reprimat diabolum, & vt retineat Euangelium inter homines, foris opponit regno diaboli, confessionem sanctorū, & in nostra imbecillitate declarat potentiam suam, Pauli Apostoli, Athanasij, Augustini, & similium, qui docuerunt Ecclesias, pericula, labores, conciones, sunt sancta opera, sunt vera sacrificia, Deo accepta, sunt certamina Christi, per quæ repressit Diabolum, & depulit ab his, qui crediderunt. Labores Dauid, in gerendis bellis, & in administratione domestica sunt opera sancta, sunt vera sacrificia, sunt certamina Dei, defendentis illum populum, qui habebat verbum Dei, aduersus diabolum, ne penitus extingueretur notitia Dei in terris. Sic sentimus etiam de singulis bonis operibus in infimis vocationibus, & in priuatis. Per hæc opera triumphat Christus aduersus Diabolum, vt quod Corinthij conferebant Eleemosynam, sanctum



opus erat, & sacrificium & certamen Christi aduersus  
 diabolum, qui laborat, ne quid fiat ad laudem Dei. Tu-  
 lia opera vituperare, confessionem, doctrinam, afflictio-  
 nes, officia caritatis, mortificationes carnis, profectus  
 esset vituperare externam regni Christi inter hominum  
 politiam. Atque hic addimus etiam de praemiis, & de me-  
 merito. Docemus operibus fidelium proposita, & promissa  
 esse praemia. Docemus bona opera meritoria esse  
 non remissionis peccatorum, gratiam, aut iustificationem.  
 (Haec enim tantum fide consequimur) sed aliorum  
 praemiorum corporalium & spiritualium, in hac vita  
 & post hanc vitam, quia Paulus inquit: Vnusquisque re-  
 cipiet mercedem iuxta suum laborem. Erunt igitur  
 dissimilia praemia, propter dissimiles labores. At remissio  
 peccatorum similis & aequalis est omnium, sicut  
 unus est Christus, & offertur gratis omnibus, qui credunt  
 sibi propter Christum remitti peccata. Accipitur igitur tantum  
 fide remissio peccatorum, & iustificatio, non propter vlla  
 opera. Sicut constat in terroribus conscientiae, quod non  
 possunt irae Dei opponi vlla nostra opera, sicut Paulus  
 clare dicit: Fide iustificati pacem habemus erga Deum,  
 per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum  
 habemus fidei, &c. Fides autem quia filios Dei facit, facit &  
 cohaereditatem Christi. Itaque quia iustificationem non  
 meremur operibus nostris, qua efficiamur filii Dei, &  
 cohaereditatem Christi, non meremur vitam aeternam  
 operibus nostris. Fides enim consequitur, quia fides  
 iustificat nos, & habet placatum Deum. Debetur autem  
 iustificatis iuxta illud: Quos iustificauit, eosdem &  
 glorificauit. Paulus commendat nobis praecipuum de  
 honorandis parentibus mentione praemij, quod additur  
 illi praecipuo: Si quis non vult, quod obedientiam erga  
 parentes iustificet nos coram Deo, sed postquam fit  
 in iustificatis, meremur alia magna praemia. Deus tamen  
 varie exercet

sanctos



sanctos, & sæpè differt præmia iustitiæ operum, vt discant non confidere sua iustitia, vt discant quærere voluntatem Dei magis, quam præmia. Sicut apparet in Iob, in Christo & alijs sanctis. Et de hac re docent nos multi Psalmi, qui consolantur nos aduersus felicitatē impiorum, vt Psal. 36. Noli æmulari. Et Christus ait: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

His præconijs bonorum operum mouentur haud dubiè fideles ad benè operandum. Interim etiam prædicatur doctrina pœnitentiæ aduersus impios, qui malè operantur, ostenditur ira Dei, quam minatus est omnibus, qui non agunt pœnitentiam. Laudamus igitur & requirimus bona opera, & multas ostendimus causas, quare fieri debeant. Sic de operibus docet & Paulus, cum inquit: Abraham accepisse circumcisionem, non vt per illud opus iustificaretur. Iam enim fide consecutus erat, vt iustus reputaretur. Sed accessit circumcisio, vt haberet in corpore scriptum signum, quo commonefactus exerceret fidem, quo etiã cõfiteretur fidem coram alijs, & alios ad credendum suo testimonio inuitaret. Abel fide gratiorem hostiam obtulit, quia igitur fide iustus erat, idè placuit sacrificium, quod faciebat, non vt per id opus mereretur remissionem peccatorum, & gratiam, sed vt fidem suam exerceret, & ostenderet alijs ad inuitandos eos ad credendum.

Cum hoc modo bona oprea sequi fidem debeant, longè aliter vtuntur operibus homines, qui non possunt credere, ac statuere in corde, sibi gratis ignosci propter Christum, se habere Deum propitium gratis propter Christum. Hi cum videt opera sanctorum, humano more iudicant, sanctos promeruisse remissionem peccatorum & gratiam per hæc opera. Idè imitantur ea, & sentiunt se per opera similia mereri remissionem



peccatorum, & gratiam, sentiunt se per illa opera placare iram Dei, & consequi, vt propter illa opera reputentur. Hanc impiam opinionem in operibus damnamus; Primùm, quia obscurat gloriam Christi cum homines proponunt Deo hæc opera tanquam precium & propiciationem. Hic honos debitus Christo tribuitur nostris operibus. Secundò, neque inueniunt conscientie pacem in his operibus, sed alia super alia in veteris terroribus cumulantes tandem desperant, quia nullum opus satis mundum inueniunt. Semper accusat lex, & parit iram. Tertio, tales nunquam assequuntur notitiam Dei, quia enim irati fugiunt Deum iudicantem & affligentem, nunquam sentiunt exaudiri. At fides ostendit presentiam Dei, postquam constituit, quod Deus gratis ignoscat, & exaudiat. Semper autem in mundo hæsit impia opinio de operibus. Gentes habebant sacrificia, sumta à patribus. Horum opera imitabantur, fidem non tenebant, sed sentiebant opera illa propiciationem & precium esse, propter quod Deus reconciliaretur ipsis. Populus in lege imitabatur sacrificia hac opinione, quod propter illa opera haberent placatum Deum, vt ita loquamur, ex opere operato. Hic videmus, quam vehementer obiurgat populum Propheta, Psal. 49. Non in sacrificijs arguite, Et Ierem: Non præcepi de holocaustis. Tabernaculi loci damnant non opera, quæ certè Deus præcepit, vt externa exercitia in hac politia, sed damnant impiam persuasionem, quod sentiebant se per illa opera placare iram Dei, & fidem abiciebant. Et quia nulla opera reddunt pacatam conscientiam, ideo subinueniunt noua opera excogitantur præter mandata Dei. Populus Israël viderat Prophetas in excelsis sacrificasse. Per exempla sanctorum maximè mouent animos, sperantes se similibus operibus perinde gratiam consecuros esse, vt illi consecuti sunt. Quare hoc opus mirabile



studio cœpit imitari populus, vt per id opus mereretur remissionem peccatorum, gratiam & iustitiam. At Prophetæ sacrificauerant in excelsis, non vt per illa opera mereretur remissionem peccatorum & gratiam, Sed quia in illis locis docebant, ideò ibi testimonium fidei suæ proponebant. Populus audierat, Abraham immolasse filium suum. Quare & ipsi, vt asperrimo ac difficilimo opere placarent iram Dei, mactauerunt filios. At Abraham non hac opinione immolabat filium, vt id opus esset precium & propiciatio, propter quam iustus reputaretur. Sic in Ecclesia instituta est Cœna Domini, vt recordatione promissionum Christi, quarum in hoc signo admonemur, confirmetur in nobis fides & foris cōfiteamur fidem nostrā, & predicemus beneficia Christi, sicut Paulus ait: Quoties feceritis, mortem Dñi annuntiabitis, &c. Verum aduersarij nostri contendunt missam esse opus, quòd ex opere operato iustificat & tollit reatū culpæ & pœnæ in his, pro quibus fit. Sic enim scribit Gabriel: Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij sancti Patres elegerunt certum vitæ genus, vel propter studium, vel propter alia vtilia exercitia. Interim sentiebāt se fide ppter Christum iustos reputari, & habere propiciū Deum, non ppter illa propria exercitia. Sed multitudo deinceps imitata est, non fidem Patrū, sed exempla sine fide, vt per illa opera mererentur remissionē peccatorum, gratiam & iustitiam, non senserunt se hæc gratis accipere propter propiciatorem Christum. Sic de omnibus operibus iudicat mundus, quòd sint propiciatio, qua placatur Deus, quòd sint precia, propter quæ reputamur iusti. Non sentit Christum esse propiciatorem, non sentit, quòd fide gratis consequamur, vt iusti reputemur propter Christum. Et tamen cum opera non possint reddere pacatam conscientiam, eliguntur subinde alia, sunt noui cultus, noua vota, noui



monachatus propter mandatū Dei, vt aliquod magnū opus queratur, quod possit opponi iræ & iudicio Dei.

Has impias opiniones de operibus aduersarij tuerentur contra scripturam. At hæc tribuere operibus nostris, quòd sint propitiatio, quòd mereantur remissionem peccatorum, & gratiam, quòd propter ea iusti coram Deo reputemur, non fide propter Christum propitiatorem, Quid hoc aliud est, quàm Christo detrahere honorem mediatoris, & propiciatoris? Nos igitur etsi sentimus ac docemus, bona opera necessaria facienda esse, Debet enim sequi fidem inchoata legis impletio, tamen Christo suum honorem reddimus. Sentimus ac docemus, quòd fide propter Christum coram Deo iusti reputemur, quòd non reputemur iusti propter opera, sine mediatore Christo, quòd non mereamur remissionem peccatorum, gratiam & iustitiam per opera, quòd opera nostra non possimus opponere iræ & iudicio Dei, quòd opera non possunt terrores peccati vincere. Sed quòd sola fide vincantur terrores peccati, quòd tantum mediator Christus per fidem opponendus sit iræ & iudicio Dei. Si quis scilicet sentit, non reddit Christo debitum honorem, qui propositus est, vt sit propitiator, vt per ipsum habeamus accessum ad Patrem. Loquimur autem nunc de iustitia, per quam agimus cum Deo, non cum hominibus, sed qua apprehendimus gratiam, & pacem conscientie. Non potest autem conscientia pacata reddi coram Deo, nisi sola fide, quæ statuit nobis Deum placatum esse propter Christum. Iuxta illud: Iustificari et fide, pacem habemus, quia iustificatio tantum est res gratis promissa propter Christum, quare sola fide temper coram Deo accipitur.

Nunc igitur respondebimus ad illos locos, quos citant aduersarij, vt probent, nos dilectione & operibus iustificari. Ex Corinthijs citant: Si omnem fidem ha-

ueat



beam, &c. caritatem autem non habeam, nihil sum. Et hic magnificè triumphant, Totam Ecclesiam, aiunt, certificat Paulus, quòd non iustificet sola fides. Facilis autem responsio est, postquam ostendimus supra, quid de dilectione & operibus sentiamus. Hic locus Pauli requirit dilectionem. Hanc requirimus & nos. Diximus enim supra, oportere existere in nobis renovationem, & inchoatam legis impletionem, iuxta illud: Dabo legem meam in corda eorum. Si quis dilectionem abiecerit, etiamsi habet magnam fidem, tamen non retinet eam, Non enim retinet Spiritum sanctum. Neq; verò hoc loco tradit Paulus modum iustificationis, sed scribit his, qui cum fuissent iustificati, cohortandi erant, vt bonos fructus ferrent, ne amitterent Spiritum sanctum. Ac preposterè faciunt aduersarij. hunc vnum locum citant, in quo Paulus docet de fructibus, alios locos plurimos omittunt, in quibus ordine disputat de modo iustificationis. Ad hoc, in alijs locis, qui de fide loquuntur, semper adscribunt correctionem, quòd debeant intelligi de fide formata. Hic nullam adscribunt correctionem, quòd fide etiam opus sit, sentiente quòd reputemur iusti propter Christum propitiatorem. Ita aduersarij excludunt Christum à iustificatione, & tantum docent iustitiam legis. Sed redeamus ad Paulum. Nihil quisquã ex hoc textu amplius ratiocinari potest, quàm quòd dilectio sit necessaria. Id fatemur. Sicut necessarium est, non furari. Neq; verò rectè ratiocinabitur, si quis inde velit hoc efficere: Nò furari necessarium est, igitur non furari iustificat, quia iustificatio non est certi operis approbatio, sed totius personæ. Nihil igitur lædit nos hic Pauli locus. Tantumne affingant aduersarij, quidquid ipsis libet, Non enim dicit, q̄ iustificet dilectio, sed q̄ nihil sim, id est, quòd fides extinguatur, quamlibet magna contigerit. Non dicit, quòd dilectio vincat terrores peccati & mortis,



quod dilectionem nostram opponere possimus iræ a  
iudicio Dei, quod dilectio nostra satisfaciât legi Dei.  
quod sine propiciatore Christo habeamus accessum  
ad Deum nostra dilectione, quod dilectione nostra ac  
cipiamus promissam remissionem peccatorum. Nihil  
horum dicit Paulus. Non igitur sentit, quod dilectio  
iustificet, quia tantum ita iustificamur, cum apprehen  
dimus propiciatorem Christum, & credimus nobis De  
um propter Christum placatum esse. Nec est iustifica  
tio somnianda, omisso propiciatore Christo. Tollat  
aduersarij promissionem de Christo, aboleant Euange  
lium, si nihil opus est Christo, si nostra dilectione pos  
sumus vincere mortem, si nostra dilectione, sine pro  
piciatore Christo accessum habemus ad Deum. Ad  
uersarij corrumpunt pleraque loca, quia suas opiniones  
ad ea afferunt, non sumunt ex ipsis locis sententiam.  
Quid enim habet hic locus incommodi, si detrahe  
mus interpretationem, quam aduersarij de suo assump  
nō intelligētes, quid sit iustificatio, aut quomodo sit.  
Corinthij antea iustificati multa acceperant excellen  
tia dona. Feruebant initia, ut sit. Deinde ceperunt in  
ter eos existere simulates, ut significat Paulus, ceperunt  
fastidire bonos doctores. Ideo obiurgat eos Paulus,  
reuocans ad officia dilectionis, quæ etiam si sunt  
necessaria, tamen stultum fuerit somnare, quod opera  
secundæ tabulæ coram Deo iustificent, per quam ap  
pamus cum hominibus, non agimus propriè cum Deo.  
At in iustificatione agendum est cum Deo, placatum  
est ira eius, conscientia erga Deum pacificanda est. Ni  
hil horum fit per opera secundæ tabulæ.

Sed obijciunt præferri dilectionem fidei & spei. Paulus  
enim ait: Maior horum caritas. Porro consentaneum  
est maximam & præcipuam virtutem iustificare. Quam  
quam hoc loco Paulus propriè loquitur de dilectione  
proximi, & significat dilectionem maximam esse, quæ  
plurimam



plurimos fructus habet, Fides & spes tantum agunt cum Deo, At dilectio foris erga homines infinita habet officia, tamen largiamur sane aduersarijs, dilectionem Dei & proximi, maximam virtutem esse, quia hoc summum preceptum est, Diliges Dominum Deum. Verum quomodo inde ratiocinabuntur, quod dilectio iustificet? Maxima virtus, inquit, iustificat. Imò sicut lex etiam maxima seu prima non iustificat, ita nec maxima virtus legis, Sed illa virtus iustificat, quæ apprehendit Christum, quæ communicat nobis Christi merita, qua accipimus gratiam & pacem à Deo, Hæc autem virtus, fides est, Nam vt sæpe dictum est, fides non tantum notitia est, sed multò magis velle accipere, seu apprehendere ea, quæ in promissione de Christo offeruntur. Est autem & hæc obedientia erga Deum, velle accipere oblatam promissionem, non minus *λεπτοειδ*, quam dilectio, vult sibi credi Deus, vult nos ab ipso bona accipere, & id pronunciat esse verum cultum.

Cæterum aduersarij, tribuunt dilectioni iustificationem, quia ubiq; legis iustitiam docent, & requirunt. Non enim possumus negare, quin dilectio sit summum opus legis. Et humana sapientia legem ianuetur, & quærit in ea iustitiam. Ideò & scholastici doctores, magni & ingeniosi homines, summum opus legis prædicant, huic operi tribuunt iustificationem. Sed decepti humana sapientia, non viderunt faciem Moyfi reiectam, sed velatam, sicut Pharisei, Philosophi, Mahometistæ. Verum nos stultitiam Euangelij prædicamus, in quo alia iustitia reuelata est, videlicet, quod propter Christum propiciatorem iusti reputemur, cum credimus nobis Deum propter Christum placatum esse. Nec ignoramus, quantum hæc doctrina abhorreat à iudicio rationis ac legis, Nec ignoramus multò speciosorem esse doctrinam legis de dilectione, Est enim sapientia. Sed non pudet nos stultitiæ Euangelij, Id propter



gloriam Christi defendimus & rogamus Christum, Spiritu sancto suo adiuuet nos, vt id illustrare ac patere facere possimus.

Aduersarij in confutatione & hunc locum contra nos citauerunt, ex Coloss. Caritas est vinculum perfectionis. Hinc ratiocinantur, quod dilectio iustificat quia perfectos efficit. Quanquam hic multis modis perfectione responderi posset, tamen nos simplicitate sententiam Pauli recitabimus. Certum est, Paulum de dilectione proximi loqui. Neque verò existimandum est quod Paulus aut iustificationem, aut perfectionem coram Deo, tribuerit operibus secundæ tabulæ potius, quam primæ. Et si dilectio efficit perfectos, nihil igitur opus erit propitiatore Christo, Nam fides tantum apprehendit propitiatorē Christum. Hoc autem longissimè abest à sententia Pauli, qui nunquam patitur excludi propitiatorem Christum. Loquitur igitur non de personali perfectione, sed de integritate communi Ecclesiæ. Ideo enim ait, dilectionem esse vinculum seu colligationē, vt significet se loqui de colligandis & copulandis pluribus membris Ecclesiæ in se. Sicut enim in omnibus familijs, in omnib. reb. publicis, concordia mutuis officijs alēda est, nec retineri tranquillitas potest, nisi quædam errata inter se dissimulēt homines & condonent: Ita iubet Paulus in Ecclesia dilectionē existere, quæ retineat concordiam, quæ toleret sicubi opus est, asperiores mores fratrum, quæ dissimulet quædam leuia errata, ne dissiliat Ecclesia in variis schismata, & ex schismatis oriuntur odia, factiones & hæreses. Necesse est enim dissilire concordiam, quando aut Episcopi imponunt populo duriora onera, nec habent rationem imbecillitatis in populo. Et oriuntur dissidia, quando populus nimis acerbè iudicat de moribus doctorum, aut fastidit doctores propter quædam leuia incommoda, quæruntur enim deinde & alia

Ab.

doct.



doctrinae genus, & alij doctores. E contra perfectio, id est, integritas Ecclesiae conseruatur, quando firmi tolerant infirmos, quando populus boni consulit quaedam incommoda in moribus doctorum, quando Episcopi quaedam condonant imbecillitati populi. De his praecipis aequitatis pleni sunt libri omnium sapientum, ut in hac vitae consuetudine multa condonemus inter nos, propter communem tranquillitatem. Et de ea cum hic, tum aliàs saepe praecipit Paulus. Quare aduersarij imprudenter ratiocinantur ex nomine perfectionis, quod dilectio iustificet, cum Paulus de integritate & tranquillitate communi loquatur. Et sic interpretatur hunc locum Ambrosius. Sicut aedificium dicitur perfectum seu integrum, cum omnes partes apte inter se coagmentatae sunt. Turpe est autem aduersariis tantopere praedicare dilectionem, cum nusquam praesentent eam. Quid nunc agunt? dissipant Ecclesias, scribunt leges sanguine, & has proponunt Caesari clementissimo principi, promulgandas, trucidant sacerdotes, & alios bonos viros, si quis leuiter significauit se aliquem manifestum abusum non omnino probare. Haec non conueniunt ad ista praeconia dilectionis, quae si sequerentur aduersarij, Ecclesiae tranquillae essent, & respublica pacata. Nam hi tumultus confiscescerent, si aduersarij non nimis acerbè exigerent quasdam traditiones inutiles ad pietatem, quarum plerasque ne ipsi quidem obseruant, qui vehementissimè defendunt eas. Sed sibi facillè ignoscunt, alijs non item, ut ille apud Poëtam: Ego met mi ignosco, Meuius inquit. Id autem alienissimum est ab his encomijs dilectionis, quae hic ex Paulo recitant, nec magis intelligunt, quam parietes intelligunt vocem, quam reddunt.

Ex Petro citant & hanc sententiam: Vniuersa delicta operit caritas. Constat & Petrum loqui de dilectione erga proximum, quia hunc locum accommodat ad



præceptū, quo iubet, vt diligant se mutuo. Neq; vll  
 vlli Apostolo in mentem venire potuit, quòd dilectio  
 nostra vincat peccatum & mortem, quòd dilectio sit  
 propiciatio, propter quam Deus reconcilietur omni  
 mediatore Christo, quòd dilectio sit iustitia, sine me  
 diatore Christo. Hac enim dilectio, si qua esset, esset iu  
 stitia legis, non Euangelij, quod promittit nobis rec  
 ciliationem, & iustitiam, si credamus, quòd propter  
 Christum propiciatorem, pater placatus sit, quòd de  
 nentur nobis merita Christi. Ideo Petrus paulò an  
 iubet, vt accedamus ad Christum, vt ædificemur super  
 Christum. Et addit: Qui crediderit in eum, non con  
 fundetur. Dilectio nostra, non liberat nos à confusio  
 ne, cum Deus iudicat & arguit nos, Sed fides in Chri  
 stum liberat in his pauoribus, quia scimus, propter  
 Christum nobis ignosci. Cæterum hæc sententia de  
 dilectione, sumta est ex prouerbij, vbi antithesis cla  
 ostendit, quomodo intelligi debeat: Odium sicut  
 rixas, & vniuersa delicta tegit dilectio.

Idem prorsus docet, quod illa Pauli sententia ex Co  
 lossensibus sumta, vt, si quæ dissensiones inciderint, mi  
 tigentur & componantur æquitate, & commoditate  
 nostra. Dissensiones, inquit, crescūt odijs, vt sæpe vid  
 mus ex leuissimis offensionibus maximas fieri trage  
 dias. Inciderant quædam inter C. Cæsarem & Pompe  
 leues offensiones, in quibus si alter alteri paululū celsi  
 set, nō extitisset bellū ciuile, Sed dū vterq; more ge  
 odio suo, ex re nihili, maximi motus orti sunt. Et multū  
 in Ecclesia hæreses ortæ sunt, tantū odio doctorū  
 Itaq; non de proprijs delictis, sed de alienis loquitur  
 cum ait: Dilectio tegit delicta, videlicet aliena, & quæ  
 dem inter homines, id est, etiam si quæ offensiones  
 cidant, tamen dilectio dissimulat, ignoscit, cedit, &  
 agit omnia summo jure. Petrus igitur non hoc vult  
 quòd dilectio coram Deo mereatur remissionem peccatorū

catorū



catorum, quòd sit propiciatio excluso mediatore Christo, quòd regeneret, ac iustificet, Sed quòd erga homines non sit morosa, non aspera, non intractabilis, quòd quædam errata amicorum dissimulet, quòd mores aliorum etiam asperiores boni consulat, sicut vulgaris quædam sententia præcipit: Mores amici noueris, non oderis. Neq; temere de hoc officio dilectionis toties præcipiunt Apostoli, quòd Philosophi vocant *ἡμετέριαν*. Necessaria est enim hæc virtus ad publicam concordiam retinendam, quæ non potest durare, nisi multa dissimulent, multa condonent inter se pastores, & Ecclesia.

Ex Iacobo citant: Videris igitur, quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide sola. Neq; alius locus vllus magis putatur officere nostræ sententiæ, sed est facilis & plana responsio. Si non assuant aduersarij suas opiniones de meritis operum, Iacobi verba nihil habent incommodi. Sed vbiq; fit mentio operum, aduersarij affingunt suas impias opiniones, quòd per bona opera mereamur remissionem peccatorum, quòd bona opera sint propiciatio ac precium, propter quod Deus nobis reconcilietur, quòd bona opera vincant terrores peccati & mortis, quòd bona opera coram Deo propter suam bonitatem sint accepta, nec egeant misericordia & propiciatore Christo. Horum nihil venit in mentem Iacobo, quæ tamen omnia nunc defendunt aduersarij prætextu sententiæ Iacobi.

Primum igitur hoc expendendum est, quòd hic locus magis contra aduersarios facit, quàm contra nos. Aduersarij enim docent hominem iustificari dilectione, & operibus. De fide, qua apprehendimus propiciatorem Christum, nihil dicunt. Imò hanc fidem improbāt, neq; improbant tantum sententijs aut scriptis, Sed etiam ferro & supplicijs conantur in Ecclesia delere. Quātò melius docet Iacobus, qui fidem non omittit, nō

subijci-



subijcit pro fide dilectionem, sed retinet fidem, ne propiciator Christus excludatur in iustificatione, Sicut et Paulus, cum summam tradit vitæ Christianæ, completur fidē & dilectionem, 1. Tim. 1. Finis mandati caritatis est de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.

Secundò, res ipsa loquitur, hinc de operibus dici, quæ fidem sequuntur, & ostendunt fidem non esse mortuam, sed viuam & efficacem in corde. Non igitur sensit Iacobus, nos per bona opera mereri remissionem peccatorum, & gratiam. Loquitur enim de operibus iustificatorum, qui iam sunt reconciliati, accepti & consecuti remissionem peccatorum. Quare errant aduersarij, cum hinc ratiocinantur, quòd Iacobus doceat nos per bona opera mereri remissionem peccatorum & gratiam, quòd per opera nostra habeamus accessum ad Deum, sine propiciatore Christo.

Tertiò, Iacobus paulò antè dixit de regeneratione, quòd fiat per Euangelium, Sic enim ait: Volens generare nos verbo veritatis, vt nos essemus primitiæ creaturarum eius. Cum dicit nos Euangelio renatos esse, docet, quòd fide renati ac iustificati simus. Nam promissio de Christo tantum fide apprehenditur, cum opponimus eam terroribus peccati & mortis. Non igitur sentit Iacobus, nos per opera nostra renasci.

Ex his liquet, non aduersari nobis Iacobum, qui cum ociosas & securas mentes, quæ somniabant se habere fidem, cum non haberent, vituperaret, distinxit inter mortuam fidem, ac viuam fidem. Mortuam ait esse, quæ non parit bona opera. Viuam ait esse, quæ parit bona opera. Porrò nos sæpe iam ostendimus, quid appellamus fidem, Non enim loquimur de ociosa notitia, quæ talis est etiam in Diabolis, Sed de fide, quæ resistit terroribus conscientie, quæ erigit & consolatur per terrena corda. Talis fides neq; facilis res est, vt somniant aduersarij, neq; humana potentia, sed diuina potentia.



qua viuificamur, qua Diabolum & mortem vincimus, Sicut Paulus ad Coloss. ait, quòd fides sit efficax per potentiam Dei, & vincat mortem. In quo & resuscitati estis per fidem potentiae Dei. Hæc fides, cum sit noua vita, necessariò parit nouos motus & opera, Ideo Iacobus rectè negat, nos tal. fide iustificari, quæ est sine operibus. Quòd autem dicit nos iustificari fide & operibus, Certè non dicit nos per opera renasci, Neq; hoc dicit, quòd partim Christus sit propiciator, partim opera nostra sint propiciatio. Nec describit hinc modum iustificationis, sed describit, quales sint iusti, postquam iam sunt iustificati & renati. Et iustificari significat hinc non ex impio iustum effici, sed vsu forensi iustum pronunciarì, Sicut hinc, Factores legis iustificabuntur. Sicut igitur hæc verba nihil habent incommodi, Factores legis iustificabuntur: Ita de Iacobi verbis sentimus, Iustificatur homo. non, solùm ex fide, sed etiam ex operibus, Quia certè iusti pronunciantur homines habentes fidem, & bona opera. Nam bona opera in sanctis, vt diximus, sunt iustitiæ, & placent propter fidem. Nã hæc tantùm opera prædicat Iacobus, quæ fides efficit, sicut testatur, cum de Abraham dicit: Fides adiuuat operæ eius. In hanc sententiam dicitur: Factores legis iustificabuntur, hoc est, iusti pronunciantur, qui corde credunt Deo, & deinde habent bonos fructus, qui placent propter fidem, Ideoq; sunt impletio legis. Hæc simpliciter ita dicta nihil habent vitij, sed deprauantur ab aduersarijs, qui de suo affingunt impias opiniones. Nõ enim sequitur hinc, opera mereri remissionem peccatorum, opera regenerare corda, opera esse propiciationem, opera placere sine propiciatore Christo, opera non indigere propiciatore Christo. Horum nihil dicit Iacobus, quæ tamen impudenter ratiocinantur aduersarij ex Iacobi verbis.

Citantur aduersus nos & aliæ quædam sente



de operibus. Luca. 6. Remittite & remittetur vobis.  
Esa. 58. Frange esurienti panem tuum, tunc inuocabit  
& Dominus exaudiet. Dan. 4. Peccata tua eleemo-  
sinis redime. Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quia  
illorum est regnum cœlorum. Item; Beati misericordiam  
quia misericordiam consequentur. Hæ sententia  
etiam nihil haberent incommodi, si nihil affingerent  
aduersarij. Duo enim continent, Alterum est præ-  
dicatio seu legis, seu pœnitentiæ, quæ & arguit ma-  
facientes, & iubet benefacere, Alterum est promissio  
quæ additur. Neq; verò adscriptum est, peccata remitti  
sine fide, aut ipsa opera propiciatione esse. Semper  
tem in prædicatione legis, hæc duo oportet intelli-  
& quòd lex non possit fieri, nisi fide in Christum rem-  
issimus, Sicut ait Christus: Sine me nihil potestis fieri.  
Et vt maximè fieri possint quædam externa opera,  
retinenda est hæc vniuersalis sententia, quæ totam legem  
interpretatur: Sine fide impossibile est placere Deo.  
Retinendum est Euangelium, quòd per Christum  
obeamus accessum ad Patrem.

Constat enim, quòd non iustificamur ex lege, Alii  
qui quorsum opus esset Christo, aut Euangelio, si  
prædicatio legis sufficeret? Sic in prædicatione pœ-  
nitentiæ, non sufficit prædicatio legis, seu verbu argu-  
peccata, quia lex irâ operatur, tantum accusat, tantum  
terret conscientias, quia conscientia nunquam acquies-  
cunt, nisi audiant vocem Dei, in qua clarè promittitur  
remissio peccatorum. Ideò necesse est addi Euange-  
quòd propter Christum peccata remittantur, & quòd  
fide in Christum consequamur remissionem pecca-  
rum. Si excludunt aduersarij à prædicatione pœni-  
tentiæ Euangelium de Christo, meritò sunt iudicandi  
phemi aduersus Christum. Itaq; cum Esaias  
cap. prædicat pœnitentiam: Quiescite agere pœni-  
tentiæ, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite



presso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & expossulate mecum, Si fuerint peccata vestra vt Coccinum, quasi nix dealbabuntur. Sic & hortatur ad pœnitentiam Propheta, & addit promissionē. Et stultum fuerit in tali sententia tantum hæc opera considerare subuenire oppresso, iudicare pupillo, Initiō enim ait: desinite agere perversè, vbi taxat impietate cordis, & requirit fidē, Nec dicit Propheta, quod per opera illa, subuenire oppresso, iudicare pupillo, me eri possint remissionē peccatorū ex opere operato, sed præcipit hæc opera, vt necessaria in noua vita. Interim tamē remissionem peccatorū fide accipi vult, Ideoq; additur promissio. Sic sentiendū est de omnibus similibus locis. Christus prædicat pœnitentiam, cum ait: Remittite & addit promissionē, Remittetur vobis. Neq; verò hoc dicit, quod illo nostro opere, cum remittim<sup>9</sup>, mereamur remissionem peccatorum, ex opere operato, vt vocant, sed requirit nouam vitam, quæ certè necessaria est, Interim tamen vult fide accipi remissionem peccatorū, Sic cum ait Esaias: Frange esurienti panē, Nouam vitā requirit, Nec Propheta de illo vno opere loquitur, sed de tota pœnitentia, vt indicat textus. Interim tamen vult remissionem peccatorum fide accipi. Certa est enim sententia, quam nullæ portæ inferorū euertere poterunt, quod in prædicatione pœnitentiæ, non sufficiat prædicatio legis, quia lex irā operatur, & semper accusat. Sed oportet addi prædicationem Euangelij, quod ita donetur nobis remissio peccatorum, si credamus nobis remitti peccata propter Christum. Alioqui quorsum opus erat Euangelio, quorsum opus erat Christo? Hæc sententia semper in cōspectu esse debet, vt opponi possit his, qui abiecto Christo, delecto Euangelio malè detorquent scripturas ad humanas opinionones, quod remissionē peccatorū emanus nostris operibus. Sic & in cōcione Danielis, fides regrenda est.



Non enim volebat Daniel Regem tantum eleemosynas largiri, sed totam poenitentiam complectitur, cum ait Redime peccata tua eleemosynis, id est, redime peccata tua, mutatione cordis & operum. Hic autem & fides requiritur, Et Daniel de cultu vnius Dei Israel, multo ei concionatur, & regem conuertit, non solum ad eleemosynas largiendas, sed multo magis ad fidem. Extat enim egregia confessio Regis, de Deo Israel: Non est alius Deus, qui possit ita saluare. Itaque duae sunt partes in confessione Danielis, Altera pars est, quae praecipit de noua vita & operibus nouae vitae, Altera pars est, quod Daniel promittit Regi remissionem peccatorum, Et haec promissio remissionis peccatorum non est praedicatio legis, sed vere Prophetica & Euangelica vox, quam certo voluit Daniel fide accipi. Norat enim Daniel, promissio esse remissionem peccatorum in Christo, non solum Israelitis, sed etiam omnibus gentibus, Alioquin non posset Regi polliceri remissionem peccatorum. Non enim hominis, praesertim in terroribus peccati, sine certo verbo Dei, statuere de voluntate Dei, quod irasci desinat. Ac verba Danielis in sua lingua clarius de tota poenitentia loquuntur, & clarius promissionem efferunt: Peccata tua per iustitiam redime, & iniquitates tuas beneficiis erga pauperes. Haec verba praecipunt de tota poenitentia. Iubent enim, ut fiat iustus, deinde ut bene operetur, ut, quod Regis officium erat, miseris aduersus iniuriam defendat. Iustitia autem est fides in corde. Redimuntur autem peccata per poenitentiam, id est, obligatio seu reatus tollitur, quia Deus ignoscit agentibus poenitentiam, sicut, Ezech. 18, scriptum est. Neque hinc ratio cinandum est, quod ignoscat propter opera sequentia propter eleemosynas, sed ignoscit propter suam promissionem, his qui apprehendunt promissionem, Nec apprehendunt, nisi qui vere credunt, & fide peccatum vincunt, & mortem. Hi renati dignos fructus poenitentiae



parere debent, sicut Iohannes ait. Est igitur addita promissio. Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Hieronymus hic præter rem addidit dubitativam particulam. Et multò imprudentius in Commentarijs, contendit remissionem peccatorum incertam esse. Sed nos meminerimus, Euangelium certò promittere remissionem peccatorum. Et hoc planè fuerit Euangelium tollere, negare quòd certò debeat promitti remissio peccatorum. Dimittamus igitur hoc in loco Hieronymum, Quamquam & in verbo redimendi promissio ostenditur. Significatur enim, quòd remissio peccatorum possibilis sit, quòd possint redimi peccata, id est, tolli obligatio seu reatus, seu placari ira Dei. Sed aduersarij nostri, ubiq; omissis promissionibus, tantum præcepta intuentur, Et affingunt humanam opinionem, quòd propter opera contingat remissio, cum hoc textus non dicat, sed multò magis fidem requirat. Nam ubi-  
cunq; promissio est, ibi fides requiritur. Non enim potest accipi promissio, nisi fide.

Verum opera incurrunt hominibus in oculos. Hæc naturaliter miratur humana ratio, Et quia tantum opera cernit, fidem non intelligit, neq; considerat, Ideò somniat, hæc opera mereri remissionem peccatorum & iustificare. Hæc opinio legis hæret naturaliter in animis hominum, neq; excuti potest, nisi cum diuinitus docemur. Sed reuocanda mens est ab huiusmodi carnalibus opinionibus ad verbum Dei. Videmus nobis Euangelium & promissionem de Christo proposita esse. Cum igitur lex prædicatur, cum præcipiuntur opera, non est repudianda promissio de Christo. Sed hæc prius apprehendenda est, vt bene operari possimus, & vt opera nostra Deo placere queant, sicut inquit Christus: Sine me nihil potestis facere. Itaq; si Daniel his verbis vltus esset, Peccata tua redime per penitentiam, præterirent hunc locum aduersarij, Nunc cum verè hanc



ipsam sententiam verbis alijs, vt videntur extulit, torquent verba aduersarij contra doctrinam gratiæ fidei. Cùm Daniel maximè voluerit complecti fidem. Sic igitur ad verba Danielis respondemus, quòd pœnitentiam prædicat, non doceat tantùm de operibus, sed de fide quoq; vt ipsa historia in textu testatur. Secundò, quia Daniel clarè ponit promissionem, cessariò requirit fidem, quæ credat gratis remitti peccata à Deo. Quanquam igitur in pœnitentia commemorat opera, tamen hoc Daniel non dicit, quod per opera illa mereamur remissionem peccatorum. Requiritur enim Daniel non solùm de remissione culpæ, quia remissio pœnæ frustra queritur, nisi cor apprehenderit priùs remissionem culpæ. Cæterùm si aduersarij tantùm intelligunt Danielem de remissione pœnæ, nihil contra nos faciet hic locus, quia ita necesse erit ipsos fateri, quòd remissio peccati & iustificatio gratuita præcedat. Postea nos quoq; concedimus pœnas, quibus castigamur, mitigari nostris orationibus bonis operibus, deniq; tota pœnitentia, iuxta illud nos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Et ieremix 15. Si conuerteris, conuertam te. Zach. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et Psal. 49. uoca me in die tribulationis.

Teneamus igitur has regulas in omnibus encomiis operum, in prædicatione legis, quòd lex non fiat sine Christo, Sicut ipse inquit: Sine me nihil potest fieri. Item, quòd sine fide impossibile sit placere Deo. Certissimum est enim, quòd doctrina legis non tollere Euangelium, non vult tollere propiciationem Christum, Et maledicti sint Pharisei aduersarij nostri, qui legem ita interpretantur, vt operibus tribuant gloriam Christi, videlicet quòd sint propiciatio, quòd mereantur remissionem peccatorum. Sequitur igitur sententia per ira laudari opera, quòd placeant propter fidem, quæ



opera non placent, sine propiciatore Christo; Per hunc habemus accessum ad Deum, non per opera, sine mediatore Christo. Ergo cum dicitur, Si vis in vitam ingredi, serua mandata, Sentiendum est mandata sine Christo non seruari, nec placere sine Christo. Sic in ipso Decalogo, in primo præcepto, Faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea, amplissima promissio legis additur, Sed hæc lex non fit sine Christo. Semper enim accusat conscientiam, quæ legi non satisfacit, quare territa fugit iudicium & poenâ legis. Lex enim operatur iram, Tunc autem facit legem, quando audit nobis propter Christum reconciliari Deum, etiamsi legi non possumus satisfacere. Cum hac fide apprehenditur mediator Christus, cor acquiescit & incipit diligere Deum, & facere legem, & scit iam se placere Deo, propter mediatorem Christum, etiamsi illa inchoata legis impletio procul absit à perfectione, & valde sit immunda. Sic iudicandum est & de prædicatione poenitentiae. Quanquam enim Scholastici nihil omnino de fide in doctrina poenitentiae dixerunt, tamen arbitramur, neminem aduersariorum tam esse furiosum, vt neget absolutionem Euangelij vocem esse. Porro absolutio fide accipi debet, vt erigat perterrefactam conscientiam.

Itaq; doctrina poenitentiae, quia non solum noua opera præcipit, sed etiam promittit remissionem peccatorum, necessariò requirit fidem. Non enim accipitur remissio peccatorum, nisi fide. Semper igitur in his locis de poenitentia, intelligere oportet, quòd non solum opera, sed etiam fides requiratur, vt hinc Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Hinc requiritur opus, & additur promissio remissionis peccatorum, quæ non contingit ppter opus, sed propter Christum per fidem, sicut alibi multis locis testatur scriptura: Actuum 10



Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Et 1. Ioan. 2. Remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Ephes. 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius in remissionem peccatorum. Quanquam quid opus est recitare testimonia? Hæc est ipsa vox Euangelij propria, quod propter Christum, non propter nostra opera, fide consequimur remissionem peccatorum, Hanc Euangelij vocem aduersarij nostri obruere conantur, malè detortis, cis, qui continent doctrinam legis aut operum. Verum est enim, quod in doctrina pœnitentiæ requiruntur opera, quia certè noua vita requiritur. Sed hic male sunt aduersarij, quod talibus operibus mereamur remissionem peccatorum, aut iustificationem. Et tamen Christus sæpe annectit promissionem remissionis peccatorum bonis operibus, non quod velit bonam operationem propiciationem esse, sequuntur enim reconciliationem sed propter duas causas: Altera est, quia necessarii sunt qui debent boni fructus. Monet igitur, hypocrisin & falsam pœnitentiam esse, si non sequantur boni fructus. Altera causa est, quia nobis opus est habere externa signa tantæ promissionis, quia conscientia pauida, multiplici consolatione opus habet, Vt igitur Baptismus & Cœna Domini sunt signa, quæ subinde admonent, erigunt & confirmant pauidas mentes, vt credant firmius, remitti peccata: Ita scripta & picta est eadem promissio in bonis operibus, vt hæc opera admonent nos, vt firmius credamus. Et qui non benefaciunt, non excitant se ad credendum, sed contemnunt promissiones illas, Sed pii amplectuntur eas, & gaudent habere signa & testimonia tantæ promissionis. Ideò exercet se in illis signis & testimonijs. Sicut igitur Cœna Domini non iustificat ex opere operato, sine fide: Ita electi mosynæ non iustificant sine fide, ex opere operato.



Sic & Tobia concio cap. 4. accipi debet: Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. Non dicemus hyperbolen esse, quanquam ita accipi debet, ne detrahat de laudibus Christi, cuius propria sunt officia, liberare à peccato & morte, Sed recurrendum est ad regulam, quòd doctrina legis, sine Christo non prodest. Placent igitur eleemosynæ Deo, quæ sequuntur reconciliationem seu iustificationem, non quæ præcedunt. Itaq; liberant à peccato & morte, non ex opere operato, sed vt de pœnitentia supra diximus, quòd fidem & fructus complecti debeamus. Ita hic de eleemosyna dicendum est, quòd tota illa nouitas vitæ saluet. Et Eleemosynæ sunt exercitia fidei, quæ accipit remissionem peccatorum, quæ vincit mortem, dum se magis magisq; exercet, & in illis exercitijs vires accipit. Concedimus & hoc, quòd eleemosynæ mereantur multa beneficia Dei, mitigant pœnas, quòd mereantur, vt defendamur in periculis peccatorum & mortis, sicut paulò antè de tota pœnitentia diximus. Ac tota concio Tobia inspecta, ostendit, ante eleemosynas requiri fidem: Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. Et postea: Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat. Hoc autem propriè fidei est illius, de qua nos loquimur, quæ sentit se habere Deum placatum, propter ipsius misericordiam, & vult à Deo iustificari, sanctificari & gubernari. Sed aduersarij nostri, suaues homines, excerpunt mutilatas sententias, vt imperitis fucum faciant, Postea affingunt aliquid de suis opinionibus. Requirendi igitur sunt integri loci, quia iuxta vulgare præceptum, Inciuile est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere. Et loci integri prolati, plerumq; secum afferunt interpretationem.

Citatur mutilatus & hic locus Lucæ ii. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Planè furdi



sunt aduersarij, Toties iam dicimus, ad prædicationem  
 legis oportere addi Euangelium de Christo, pro  
 quem placent bona opera, sed illi ubiq; excluso Chri-  
 sto, docent mereri iustificationem per opera legis.  
 locus integer prolatus, ostendet fidem requiri. Chri-  
 stus obiurgat Phariseos, sentientes se coram Deo  
 mundari, hoc est, iustificari crebris ablationibus,  
 ut Papa, nescio quis, de aqua, sale conspersa, inquit,  
 quod populum sanctificet, ac mundet, Et glossa  
 quod mundet à venialibus. Tales erant & Pharisæ-  
 rum opiniones, quas reprehendit Christus, & oppo-  
 nit huic scilicet purgationi, duplicem mundiciem, alteram  
 internam, alteram externam. Iubet ut intus munda-  
 tur, & addit de mundicie externa: Date eleemosynam  
 de eo quod superest, & sic omnia erunt vobis munda.  
 Aduersarij non rectè accommodant particulam vniuersalem  
 vniuersalem omnia, Christus enim addit hanc conclusi-  
 onem vtrique membro, Tunc omnia erunt munda,  
 intus eritis mundi, & foris dederitis eleemosynam.  
 significat enim, quod externa mundicies collocanda  
 in operibus à Deo præceptis, non in traditionibus  
 humanis, ut tunc erant illæ ablationes, & nunc  
 quotidiana illa aspersio aquæ, vestitus Monachorum  
 discrimina ciborum, & similes pompæ. Sed aduersarij  
 corrumpunt sententiam, sophisticè translata particula  
 vniuersali, ad vnam partem: Omnia erunt munda,  
 si dederitis eleemosynas. Atqui Petrus dixit, Fide purificati  
 corda. Sed totus locus inspectus, sententiam ostendit  
 consentientem cum reliqua scriptura, quod si corda  
 mundata, & deinde foris accedant eleemosynæ,  
 est, omnia opera caritatis. Ita totos esse mundos,  
 est, non intus solum, sed foris etiam. Deinde cur  
 tota illa concio coniungitur? Multæ sunt partes  
 purgationis, quarum aliæ de fide, aliæ de operibus  
 capiunt. Nec est candidi lectoris excerpere præcepta  
 perum, omissis locis de fide.



Postremò, hoc monendi sunt lectores, quòd aduersarij pessimè consulunt pijs conscientijs, cùm docent per opera mereri remissionem peccatorum, quia conscientia colligens per opera remissionem non potest statuere, quòd opus satisfaciatur Deo, Ideo semper angitur, & subinde alia opera, alios cultus excogitat, donec prorsus desperat. Hæc ratio extat apud Paulum Rom. 4. ubi probat, quòd promissio iustitiæ, non contingat propter opera nostra, quia nunquam possemus statuere, quòd haberemus placatum Deum, Lex enim semper accusat, Ita promissio irrita esset, & incerta. Ideo concludit, quòd promissio illa remissionis peccatorum & iustitiæ fide accipiatur, non propter opera, Hæc est vera & simplex & germana sententia Pauli, in qua maxima consolatio pijs conscientijs proposita est, & illustratur gloria Christi, qui certè ad hoc donatus est nobis, vt per ipsum habeamus gratiam, iustitiam, & pacem.

Hactenus recensuimus præcipuos locos, quos aduersarij contra nos citant, vt ostendant, quòd fides nõ iustificet, & quòd mereamur remissionem peccatorum & gratiam per opera nostra, Sed speramus nos pijs conscientijs satis ostendisse, quòd hi loci non aduersentur nostræ sententiæ, quòd aduersarij malè detorqueant scripturas ad suas opiniones, quòd plerosq; locos citent truncatos, quòd omisis locis clarissimis de fide, tantum excerptant ex scripturis locos de operibus eosq; deprauent, quòd vbiq; affingant humanas quasdam opiniones, præter id quod verba scripturæ dicunt, quòd legem ita doceant, vt Euangelium de Christo obruant. Tota enim doctrina aduersariorum, partim est a ratione humana sumpta, partim est doctrina legis, non Euangelij. Duos enim modos iustificationis tradunt, quorum alter est sumtus a ratione, alter ex lege, non ex Euangelio, seu promissione de Christo.



Prior modus iustificationis est apud ipsos, quod dicunt, homines per bona opera mereri gratiam, tum congruo, tum de condigno. Hic modus est doctrina rationis, quia ratio non videns immundiciam cordis sentit se ita placare Deum, si bene operetur, & propterea subinde alia opera, alij cultus ab hominibus in magnis periculis excogitati sunt, aduersus terrores conscientiae. Gentes & Israëlitaë macrauerunt humanas hostias, & alia multa durissima opera susceperunt, placarent iram Dei. Postea excogitati sunt Monachatus, & hi certauerunt inter se acerbitate observationum contra terrores conscientiae, contra iram Dei. Et hic modus iustificationis, quia est rationalis, & totus versatur in externis operibus, intelligi potest, & ut curam præstari. Et ad hunc Canonistæ detorserunt ordinationes Ecclesiasticas, male intellectas, quæ à patribus longe alio consilio factæ sunt, nempe, non ut per opera sola quæreremus iustitiam, sed ut ordo quidam propter tranquillitatem hominum inter se, in Ecclesia esset. Ad hunc modum detorserunt & Sacramenta, maxime Missam, per hanc quæruni iustitiam, gratiam, salutem ex opere operato.

Alter modus iustificationis traditur à Theologis Scholasticis, cum docent, quod iusti simus, per quendam habitum à Deo infusum, qui est dilectio, Et quod hoc habitu adiuti intus & foris, faciamus legem Dei. Et quod illa impletio legis sit digna gratia & vita æterna. Hæc doctrina planè est doctrina legis, Verum est enim, quod lex inquit: Diliges Dominum Deum tuum, &c. Diliges proximum tuum. Dilectio igitur est impletio legis.

Facile est autè iudicium homini Christiano de utroque modo, quia uterque modus excludit Christum, idcirco reprehendendi sunt. In priore manifesta est impietas, qui docet, quod opera nostra sint propiciata



pro peccatis. Posterior modus multa habet incommoda. Non docet vti Christo, cum renascimur. Non docet iustificationem esse remissionem peccatorum. Non docet prius remissionem peccatorum contingere, quam diligimus, sed fingit, quod eliciamus actum dilectionis, per quem mereamur remissionem peccatorum. Nec docet fide in Christum vincere terrores peccati & mortis. Fingit homines propria impletione legis accedere ad Deum, sine propiciatore Christo. Fingit postea, ipsam impletionem legis, sine propiciatore Christo, iustitiam esse, dignam gratia & vita æterna, cum tamen vix imbecillis & exigua legis impletio contingat etiam sanctis.

Verum si quis cogitabit, Euangeliū non esse frustra datum mundo, Christum non esse frustra promissum, exhibitum, natum, passum, resuscitatū, facillimè intelliget, nos non ex ratione aut lege iustificari. Nos igitur cogimur de iustificatione dissentire ab aduersarijs. Euangelium enim alium modum ostendit, Euangelium cogit vti Christo in iustificatione, docet quod per ipsū habeamus accessum ad Deum per fidem, docet quod ipsum mediatorē & propiciatorem debeamus opponere iræ Dei, docet fide in Christum accipi remissionem peccatorum, & reconciliationem, & vinci terrores peccati & mortis. Ita & Paulus ait: Iustitiam esse non ex lege, sed ex promissione, in qua promisit pater, quod velit ignoscere, quod velit reconciliari propter Christum. Hæc autem promissio sola fide accipitur, vt testatur Paulus ad Rom. cap. 4. Hæc fides sola accipit remissionem peccatorū, iustificat & regenerat. Deinde sequitur dilectio, & cæteri boni fructus. Sic igitur docemus hominē iustificari, vt supra diximus, cū conscientia territa prædicationis pœnitentiæ, erigitur & credit se habere Deum placatum propter Christum. Hæc fides imputatur pro iustitia coram Deo, Rom. 4.



Et cum hoc modo cor erigitur & uiuificatur fide, concipit Spiritum sanctum, qui renouat nos, ut legem facere possimus, ut possimus diligere Deum, uerbum Dei, obedire Deo in afflictionibus, ut possimus esse casti, diligere proximum, &c. Hæc opera, etsi adhuc à perfectione legis procul absint, tamè placent propter fidem, qua iusti reputamur, quia credimus nos propter Christum habere placatum Deum. Hæc plana sunt, & Euangelio consentanea, & à sanis intelligi possunt. Et ex hoc fundamento facile iudicari potest, quare fidei tribuamus iustificationem, non dilectioni, etsi dilectio fidem sequitur, quia dilectio est impletio legis. At Paulus docet, nos non ex lege, sed ex promissione iustificari, quæ tantum fide accipitur. Neque enim accedimus ad Deum, sine mediatore Christo, neque accipimus remissionem peccatorum propter nostram dilectionem, sed propter Christum. Ac ne diligere quidem possumus iratum Deum. Et lex semper accusat nos, semper ostendit iratum Deum. Necessè est igitur nos prius fide apprehendere promissionem, quod propter Christum Pater sit placatus, & ignoscat. Postea incipimus legem facere. Procul à ratione humana, procul à Moise reijciendi sunt oculi in Christum, & sentiendum, quod Christus sit nobis donatus, ut propter eum iusti reputemur: Legi nunquam in carne satisfacimus. Ita igitur iusti reputamur, non propter legem, sed propter Christum, quia huius merita nobis donantur, si in eum credimus. Si quis igitur hæc fundamenta considerauerit, quod non iustificemur ex lege, quia legem Dei humana natura non potest facere, non potest Deum diligere, sed quod iustificemur ex promissione, in qua propter Christum promissa est reconciliatio, iustitia, & uita æterna: Is facile intelliget, necessariò tribuendam esse iustificationem fidei, si modò cogitabit, Christum non esse frustra promissum, exhibitum, natum, passum, resuscitatum.



Si cogitabit promissionem gratiæ in Christo non esse frustra, præter legem, & extra legem factam esse statim à principio mundi, si cogitabit promissionem fide accipiendam esse, sicut Iohannes inquit: Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo, Et hoc est testimonium, quòd vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Et Christus ait: Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Et Paulus: Per hunc habemus accessum ad Deum, & addit, per fidem, Fide igitur in Christum accipitur promissio remissionis peccatorum, & iustitiæ, Nec iustificamur coram Deo ex ratione aut lege. Hæc tam perspicua, tam manifesta sunt, vt miremur tantum esse furorem aduersariorum, vt hæc vocent in dubium, Manifesta *iræ Dei* est, cum non iustificemur coram Deo ex lege, sed ex promissione, quòd necesse sit fidei tribuere iustificationem. Quid potest contra hanc *iræ Dei* opponi, nisi totum Euangelium, totum Christum abolere quis velit? Gloria Christi sit illustrior, cum doceamus eo vti mediatore, ac propiciatore. Piæ conscientiæ vident in hac doctrina vberissimam consolationem sibi proponi, quòd videlicet credere ac certò statuere debent, quòd propter Christum habeant placatum Patrem, non propter nostras iustitias, & quòd Christus adiuuet tamen, vt facere etiam legem possimus. Hæc tanta bona eripiunt Ecclesiæ aduersarij nostri, cum damnant, cum delere conantur doctrinam de Iustitia fidei. Viderint igitur omnes bonæ mētes, nō consentiant impijs consilijs aduersariorum. In doctrina aduersariorū de iustificatione. non fit mentio Christi, quomodo ipsum debeamus opponere iræ Dei, quasi verò nos possimus iram Dei dilectione vincere, aut diligere Deum iratum possimus. Adhæc conscientia

relin-



relinquuntur incertæ. Si enim ideo sentire debent le  
 habere Deum placatum, quia diligunt, quia legem fa-  
 ciunt: Semper dubitare necesse est, vtrum habeamus  
 Deum placatum, quia dilectionem illam aut non senti-  
 unt, vt fatentur aduersarij, aut certè sentiunt valdè exi-  
 guam esse, & multò sæpius sentiunt se irasci iudicio  
 Dei, qui humanam naturam multis terribilibus malis  
 opprimit, ærumnis huius vitæ, terroribus æternæ iræ,  
 &c. Quando igitur acquiescet, quando erit pacata cõ-  
 scientia? Quando diliget Deum in hac dubitatione, in  
 his terroribus? Quid est aliud hæc doctrina legis, nisi  
 doctrina desperationis? Ac prodeat aliquis ex aduersa-  
 rijs, qui doceat nos de hac dilectione, quomodo ipse  
 dilgat Deum. Prorsus, quid dicant, non intelligit, tan-  
 tùm vocabulum dilectionis non intellectum reddunt,  
 sicut parietes. Adèd confusa & obscura est eorum do-  
 ctrina, Et gloriam Christi transfert in humana opera, &  
 consuecitas vel ad præsumptionem, vel ad desperatio-  
 nem adducit. Nostra verò speramus à pijs mentibus fa-  
 cilè intelligi, & speramus asserre perterrefactis consci-  
 entijs piam & salubrè consolationem. Nam quòd ad-  
 uersarij cauillantur, multos impios, ac diabulos etiam  
 credere, Sæpe iam diximus, nos de fide in Christũ, hoc  
 est, de fide remissionis peccatorum, de fide, quæ verè &  
 ex corde assentitur promissioni gratiæ, loqui. Hæc non  
 fit, sine magno agone in cordibus humanis. Et homi-  
 nes sanè facilè iudicare possunt, illam fidem, quæ credit  
 nos à Deo respici, nobis ignosci, nos exaudiri, re esse su-  
 pra naturã, Nam humanus animus per sese nihil tale de  
 Deo statuit, Itaq; neq; in impijs, neq; in diabolis hæc  
 fides est, de qua loquimur. Præterea si quis Sophista ca-  
 uillatur, Iustitiã in voluntate esse, quare non possit tri-  
 bui fidei, quæ in intellectu est: facilis est responsio, quia  
 isti in scholis etiã fatentur, voluntatè imperare intelle-  
 ctui, vt assentiatur verbo Dei. Ac nos clarius dicimus:

sicut



sicut terrores peccati & mortis, non sunt tantum cogitationes intellectus, sed etiam horribiles motus voluntatis fugientis iudicium Dei: Ita fides est non tantum notitia in intellectu, sed etiam fiducia in voluntate, hoc est, est velle, & accipere hoc, quod in promissione offertur, videlicet, reconciliationem & remissionem peccatorum. Sic utitur nomine fidei scriptura, ut testatur hæc sententia Pauli: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum. Iustificare verò hoc loco, forensi consuetudine significat reum absoluere, & pronunciare iustum, Sed propter alienam iustitiam, videlicet Christi, quæ aliena iustitia comunicatur nobis per fidem. Ita que cum hoc loco iustitia nostra sit imputatio aliena iustitiæ, aliter hinc de iustitia loquendum est, quam cum in Philosophia, aut in foro quærimus iustitiam proprii operis, quæ certè est in voluntate. Ideo Paulus inquit 1. Cor. 1. Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia & sanctificatio, & redemptio. Et 2. Cor. 5. Eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Sed quia iustitia Christi donatur nobis per fidem, ideo fides est iustitia in nobis, imputatiuè, id est, est id, quo efficimur accepti Deo, propter imputationem & ordinationem Dei, sicut Paulus ait: Fides imputatur ad iustitiam. Et, si propter morolos quosdam *τεχνολογικῶς* loquendum est: Fides rectè est iustitia, quia est obedientia erga Euangelium. Constat enim, obedientiam erga edictum superioris, verè esse speciem distributiua iustitiæ: Et hæc obedientia erga Euangelium, imputatur pro iustitia adeò, ut tantum propter hanc, quia hac apprehendimus propiciatorem Christum, placeant bona opera, seu obedientia erga legem. Neq; enim legi satisfacimus, sed id propter Christum condonatur nobis, ut Paulus ait: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu, &c.

Hæc



Hæc fides reddit Deo honorem, reddit Deo, quod factum est, per hoc, quod obedit accipiens promissionem. Sicut & Paulus inquit Roman. 4. De promissione Deum non dubitavit per diffidentiam, sed firmus fuit fide danti honoriam Deo. Ita cultus & λατρεία Euangelij est accipere bona à Deo, Econtra cultus legis est bona nostra Deo offerre & exhibere. Nihil autem possumus Deo offerre nisi antea reconciliati, & renati. Plurimum autem consolationis affert hic locus, quod cultus in Evangelio præcipuus est, à Deo velle accipere remissionem peccatorum, gratiam, & iustitiam. De hoc cultu ait Christus, Iohan. 6. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, Hunc audite. Adversarij de obedientia erga legem dicunt, Non dicunt de obedientia erga Euangelium, Cum tamen legem non possimus obedire, nisi renati per Euangelium, cum non possimus diligere Deum, nisi accepta remissionem peccatorum. Donec enim sentimus eum nobis irasci natura humana fugit iram & iudicium eius. Si quis hoc etiam cavilletur: Si fides est, quæ vult illa, quæ à promissione offeruntur, videntur confundi habitus, fides, & spes, quia spes est, quæ expectat res promissas. Ad hoc respondemus, Hos affectus non ita diuelli potest re ipsa, ut in scholis distrahunt ociosis cogitationibus. Nam & ad Ebræos definitur fides esse expectatio rerum sperandarum. Si quis tamen volet discernere, quid sit fides, & accipere in præsentiam remissionem peccatorum exhibitam in promissione. Ex his speramus satis intelligi posse, & quid sit fides, & quod cogamur sentire, quod fide iustificemur, reconciliemur & regeneremur.



Siquidē iustitiam Euangelii, non iustitiam legis docere volumus. Nam qui docēt, quōd dilectione iustificemur, legis iustitiā docent, nec vti docent Christo mediatore in iustificatione. Et hæc manifesta sunt, quōd non dilectione, sed fide vincamus terrores peccati & mortis, quōd non possimus nostrā dilectionem, & impletionē legis opponere iræ Dei, quia Paulus dicit: Per Christum habemus accessum ad Deum per fidē. Hanc sententiam toties inculcamus ppter perspicuitatem. Totius enim causæ nostræ statū clarissimē ostendit. Et diligenter inspecta abundē de tota re docere, & consolari bonas mentes potest. Ideo prodest eam in promptu & in conspectu habere, non solum vt opponere possimus aduersariorum doctrinā, qui docent, non fide, sed dilectione & meritis sine mediatore Christo ad Deum accedere, Sed etiam vt per eam erigamus nos in paucis & fidem exerceamus. Manifestū est & hoc, quōd sine auxilio Christi non possimus legem facere, sicut ipse inquit: Sine me nihil potestis facere. Ideo priusquam legem facimus, oportet corda fide renasci.

Hinc etiam intelligi potest, quare reprehendamus aduersariorum doctrinā de merito condigni. Facillima diiudicatio est, quia non faciunt mentionē fidei, quōd fide propter Christum placeamus, sed fingunt bona opera facta adiuuante illo habitu dilectionis, iustitiam esse dignam, quæ per se placeat Deo, & dignam æternæ vitæ, nec opus habere mediatore Christo. Quid est hoc aliud, quàm transferre gloriam Christi in opera nostra, quōd videlicet propter opera nostra placeamus, non propter Christum? At hoc quoq; est detrahere Christo gloriam mediatoris, qui perpetuō est mediator, non tantum in principio iustificationis. Et Paulus ait: Si iustificatus in Christo, opus habet, vt postea alibi quærat iustitiam, tribui Christo, quōd sit minister peccati, id est, quōd non plene iustificet.



Et absurdissimum est, quod aduersarij docent, quod bona opera de condigno mereantur gratiam, quasi vero post principium iustificationis, si conscientia terreatur, ut fit, gratia per bonum opus quaerenda sit, & sine fide in Christum?

Secundò. Doctrina aduersariorum relinquit conscientias ambiguas, ut nunquam pacatae esse queant, quae lex semper accusat nos etiam in bonis operibus. Semper enim caro concupiscit aduersus spiritum. Quomodo igitur hic habebit conscientia pacem sine fide? Si sentiet, quod non propter Christum, sed propter opus proprium iam placere debeat? Quod opus inueniet, quod statuet dignum esse vita aeterna? Si quidem spes ex meritis tantum debet existere. Aduersus haec dubitationes Paulus inquit: Iustificati ex fide pacem habemus, certò statuere debemus, quod propter Christum donetur nobis iustitia, & vita aeterna, Et de Abraham ait: Contra spem in spem credidit.

Tertiò. Quomodo sciet conscientia, quando opus inclinante illo habitu dilectionis factum sit, ut statui possit, quod de condigno mereatur gratiam? Sed haec ipsa distinctio tantum ad eludendas scripturas conficitur, est, quod aliàs de congruo, aliàs de condigno mereantur homines, quia, ut supra diximus, Intentio operantis non distinguit genera meritorum, sed Hypocritae securi sentiunt simpliciter opera sua esse digna, ut propterea iusti reputentur. E contra terreat conscientia de omnibus operibus dubitant. Ideo subinde quaerunt. Hoc est enim de congruo mereri, dubitare & sine fide operari, donec desperatio incidit. In summa, plena errorum & periculorum sunt omnia, quae hac re tradunt aduersarij.

Quartò. Tota Ecclesia confitetur, quod vita aeterna per misericordiam contingat. Sic enim inquit Augustinus de gratia & libero arbitrio, cum quidem loquitur



de operibus sanctorum post iustificationē factis: Non  
 meritis nostris, Deus nos ad æternam vitam, sed pro  
 sua miseratione perducit. Et lib. 9. Confess: Væ homi-  
 num vitæ quantumcunq; laudabili, si remota miseri-  
 cordia iudicetur. Et Cyprianus in enarratione oratio-  
 nis Dominicæ: Ne quis sibi quasi innocens placeat,  
 & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur pec-  
 care quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur ora-  
 re. Sed res nota est & habet plurima & clarissima te-  
 stimonîa in scriptura & Ecclesiasticis Patribus, qui v-  
 no ore omnes prædicant, nos, etiamsi habeamus bona  
 opera, tamen in illis bonis operibus misericordia in-  
 digere, Hanc misericordiã intuens fides, erigit & con-  
 solatur nos. Quare aduersarij malè docent, cum ita ef-  
 ferunt merita, vt nihil addant de hac fide apprehen-  
 dente misericordiam. Sicut enim supra diximus, pro-  
 missionem & fidem correlatiua esse, nec apprehendi  
 promissionem nisi fide: Ita hîc dicimus promissam mi-  
 sericordiam correlatiuè requirere fidem, nec posse ap-  
 prehendi nisi fide. Iure igitur reprehendimus doctrinã  
 de merito condigni, cum nihil de fide iustificante tra-  
 dat, & obscuret gloriam & officium mediatoris Chri-  
 sti. Neq; nos quidquam hac in re noui docere existi-  
 mandi sumus, cum Patres in Ecclesia hanc sententiam  
 tam clarè tradiderint, quòd misericordia indigeamus  
 etiam in bonis operibus. Et scriptura idè sæpe incul-  
 cat, In Psalmo: Non intres in iudicium cum seruo tuo,  
 quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.  
 Hîc simpliciter detrahit omnibus etiã sanctis & seruis  
 Dei gloriam iustitiæ, si non ignoscat Deus, sed iudicet  
 & arguat corda eorū. Nam quòd alibi gloriatur Dauid  
 de sua iustitia, loquitur de causa sua aduersus persecu-  
 tores verbi Dei, non loquitur de personali mundicie, &  
 rogat causam & gloriam Dei defendi, vt Psalmo 7. Iu-  
 dica me Domine, secundum iustitiam meam, & secun-  
 dum innocentiam meam super me. Rursus Psalm. 129.

ait:



ait: Neminem posse sustinere iudicium Dei, si obferuet peccata nostra: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et Iob. 9. Verebar omnia opera mea, Item, Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen foribus intinges me. Et Prouerb. 20. Quis potest dicere mundum est cor meum? purus sum à peccato? Et Iohan. 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, &c. Et in oratione Dominica, Sancti petunt remissionem peccatorum. Habent igitur & sancti peccata. In Numeris cap. 14. Et innocens non erit innocens. Et Deut. 4. Deus tuus ignis consumens est. Et Zacharias ait: Sileat à facie Domini omnis caro. Et Esaias: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatus est fœnũ, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo, id est, caro, & iustitia carnis, non potest sustinere iudicium Dei. Et Ionas ait cap. 2. Frustra obseruata vana; qui misericordiam relinquunt, id est, Omnis fiducia est inanis, præter fiduciã misericordiæ, Misericordia seruat nos. Propria merita, proprii conatus nõ seruant nos. Ideo & Daniël orat cap. 9. Neq; enim in iustificationibus nostris prosternimus preces coram te, sed in miserationibus tuis multis, Exaudi Dñe, placare Domine, attende, & fac, Ne moreris propter remetipsum Deus meus, quia nomen tuũ inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum. Sic docet nos Danie apprehendere misericordiam in orando, hoc est considerare misericordia Dei, nõ confidere nostris meritis coram Deo. Et miramur, quid agant in prece aduersarij, Si tamẽ homines prophani vnq; aliquid à Deo petunt. Si commemorant se dignos esse, quia dilectioribus & bona opera habeant, & reposcunt gratiam, tanquam debitã, perinde orant vt Phariseus apud Luc. c. 18. quærit: Nõ sum sicut cæteri homines. Qui sic petit gratiam



nec nititur misericordia Dei, iniuria afficit Christū, quā  
 cū sit Pontifex noster, interpellat pro nobis. Sic igitur  
 nititur oratio misericordia Dei, quando credimus  
 nos propter Christum Pontificem exaudiri, sicut ipse  
 ait: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit  
 vobis. In nomine meo, inquit, quia sine hoc Pontifice  
 non possumus accedere ad Patrem. Huc pertinet &  
 sententia Christi Lucæ cap. 17. Cū feceritis omnia,  
 quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.  
 Hæc verba clarè dicunt, quòd Deus saluet per misericordiam  
 & propter suam promissionem, non quòd debeat  
 propter dignitatem operum nostrorū. Sed aduersarij  
 mirificè ludūt hīc, in verbis Christi. Primū faciunt  
*ἀντιπέφορον* & in nos retorquent, Multò magis, inquit,  
 dici posse: Si credideritis omnia, dicite, Serui inutiles  
 sumus. Deinde addunt opera inutilia esse Deo,  
 nobis verò non esse inutilia. Videte, quā delectet aduersarios  
 puerile studium Sophisticæ. Et quanquam hæc ineptiæ  
 indignæ sint, quæ refutentur, tamē paucis respondebimus.  
*Αντιπέφορον* est vitiosum. Primū enim decipiuntur  
 aduersarij in vocabulo fidei, quòd si significaret nobis  
 notitiam illam historiæ, quæ etiam in impijs & diabolis  
 est, rectè ratiocinarentur aduersarij, fidem inutilem  
 esse, cū dicunt: Cū credideritis omnia, dicite, Serui  
 inutiles sumus. Sed nos non de notitia historiæ, sed de  
 fiducia promissionis & misericordiæ Dei loquimur. Et hæc  
 fiducia promissionis, fatetur nos esse seruos inutiles,  
 Imò, hæc confessio, quæ opera nostra sint indigna, est ipsa  
 vox fidei, sicut apparet in hoc exēplo Danielis, quæ paulò  
 antè citauimus: Non in iustificationibus nostris prosternimus  
 preces &c. Fides enim saluat, quæ apprehēdit misericordiam  
 seu promissionē gratiæ, etiam si nostra opera sint indigna.  
 Et in hanc sententiā nihil lædit nos *ἀντιπέφορον*. Cū



credideritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus, videlicet, quod opera nostra sint indigna, hoc enim cum tota Ecclesia docemus, quod per misericordiam saluemur. Sed si ex simili ratiocinari volunt, Cum feceris omnia, noli confidere operibus tuis; Ita cum credideris omnia, noli confidere promissione diuina, Hęc non coherent, Sunt enim dissimilia. Dissimiles causę, dissimilia obiecta fiducię sunt in priore propositione, & in posteriore. Fiducia in priore, est fiducia nostrorum operum; Fiducia in posteriore; est fiducia promissionis diuinę. Christus autem damnat fiduciam nostrorum operum, non damnat fiduciam promissionis suę. Non vult nos de gratia & misericordia Dei desperare, arguit opera nostra, tanquam indigna, non arguit promissionem, quę gratis cęfert misericordiam. Et pręclare hęc inquit Ambrosius: Agnoscenda est gratia, sed non ignoranda natura, Promissioni gratię confidendum est, non naturę nostrę. Sed aduersarij suo more faciunt, contra fidei doctrinam detorqueunt sententias pro fide traditas. Verum, hęc spinosa rejicimus ad scholas. Illa cauillatio planę puerilis est, Cum interpretantur seruos inutiles, quia opera Deo sint inutilia, nobis verò sint vtilia. At Christus de ea vtilitate loquitur, quę constituit nobis Deum debitorem gratię. Quanquam alienum est hoc loco disputare, de vtili aut inutili. Nam serui inutiles significant insufficientes, quia nemo tantum timet, tantum diligit Deum, tantum credit Deo, quantum oportuit. Sed missas faciamus has frigidas cauillationes aduersariorum, de quibus quid iudicaturi sint homines, si quando profertur in lucem, facile possunt existimare viri prudentes. In verbis maximę planis & perspicuis repererunt rimam. At nemo non videt, in illo loco fiduciam nostrorum operum improbari.

Teneamus igitur hoc, quod Ecclesia confitetur,

quod



quod per misericordiam saluemur. Et ne quis hic cogitet: Si per misericordiam saluandi sumus, incerta spes erit, si nihil præcedit in his, quibus contingit salus, quo discernantur ab illis, quibus non contingit: huic satisfaciendum est. Scholastici enim videntur hac ratione moti, quæ fuisse meritum condigni. Nam hæc ratio valde potest exercere humanum animū Breuiter igitur respondemus. Ideò vt sit certa spes, ideò vt sit præcedens discrimen inter hos, quibus contingit, & illos, quibus non contingit salus, necesse est constituere, quod per misericordiam saluemur. Hoc cum ita nudè dicitur, absurdum videtur. Nam in foro, & iudicijs humanis, ius seu debitum certum est, misericordia incerta, sed alia res est de iudicio Dei. Hic enim misericordia habet claram & certam promissionē, & mandatum Dei, Nam Euangelium propriè hoc mandatum est, quod præcipit, vt credamus Deum nobis propitium esse, propter Christum. Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur, &c. Quoties igitur de misericordia dicitur, addenda est fides promissionis. Et hæc fides parit certam spem, quia nititur verbo & mandato Dei. Si spes niteretur operibus, tunc verò esset incerta, quia opera nõ possunt pacare conscientiam, vt supra sæpè dictum est. Et hæc fides facit discrimen inter hos, quibus contingit salus, & illos, quibus non contingit, Fides facit discrimen inter dignos & indignos, quia vita æterna promissa est iustificatis, fides autem iustificat.

Sed hic iterum clamitabunt aduersarij, nihil opus esse bonis operibus, si non merentur vitam æternam. Has calumnias supra refutauius. Imò verò necesse est bene operari. Iustificatis dicimus promissam esse vitam æternam. At nec fidem, nec iustitiam reuenent illi, qui ambulat secundum carnem. Ideò iustificamur, vt



illi, bene operari, & obedire legi Dei incipiamus, ut  
 deo regeneremur, & Spiritum sanctum accipimus, ut  
 noua vita habeat noua opera, nouos affectus, timorem  
 dilectionem Dei, odium concupiscentiæ, &c. Hæc fi-  
 des, de qua loquimur, existit in pœnitentia. Et inter  
 bona opera, inter tentationes & pericula confirmari &  
 crescere debet, ut subinde certius apud nos statuamus,  
 quod Deus propter Christum respiciat nos, igno-  
 scat nobis, exaudiat nos. Hæc non discuntur sine  
 magnis & multis certaminibus. Quoties recurrit  
 conscientia, quoties sollicitat ad desperationem, cum  
 offendit, aut vetera peccata, aut noua, aut immundi-  
 tatem naturæ? Hoc chirographum non deletur sine ma-  
 gno agone, ubi testatur experientia, quam difficilis re-  
 sit fides. Et dum inter terrores erigimur & consolatio-  
 nem concipimus, simul crescunt alij motus spiritua-  
 les, notitia Dei, timor Dei, spes, dilectio Dei, & rege-  
 neramur, ut ait Paulus, ad agnitionem Dei, & intuen-  
 tes gloriam Domini transformamur in eandem imagi-  
 nem, id est, concipimus veram notitiam Dei, ut vere  
 timeamus eum, verè confidamus nos respici, nos exau-  
 diri. Hæc regeneratio est quasi inchoatio æternæ ve-  
 ritatis, ut Paulus ait: Si Christus in vobis est, spiritus viuus  
 corpus autem mortuum est, &c. Et superinduemur, ut  
 tamen induti, non nudi reperiemur. Ex his iudicare  
 candidus lector potest, nos maximè requirere bona o-  
 pera, siquidē hanc fidē docemus in pœnitentia existe-  
 re, & debere subinde crescere in pœnitentia, Et in his  
 rebus perfectionem Christianam, & spirituales ponimus,  
 si simul crescant pœnitentia, & fides in pœnitentia.  
 Hæc intelligi melius a pijs possunt, quàm quæ de con-  
 tēplatione, aut perfectione apud aduersarios docentur.  
 Sicut autem iustificatio ad fidem pertinet, ita pertinet  
 ad fidem vitæ æternæ. Et Petrus ait: Reportantes finem  
 seu fructum fidei vestræ, salutem animarum, Fatentur  
 enim



enim aduersarii, quod iustificati sint filij Dei, & coheredes Christi, Postea opera, quia placent Deo propter fidem, merentur alia præmia corporalia & spiritualia. Erunt enim discrimina gloriæ sanctorum.

Sed hic reclamant aduersarii, vitam æternam vocari mercedem, quare necesse sit, eam de condigno mereri per bona opera. Breuiter & planè respondemus, Paulus Rom 6. Vitam æternam donum appellat, quia donata iustitia, propter Christum simul efficimur filij Dei & coheredes Christi, Sicut ait Iohannes: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Et Augustinus inquit, & hunc secuti alij multi idem dixerunt: Dona sua coronat Deus in nobis. Alibi verò scriptum est: Merces vestra copiosa erit in cælis. Hæc si videntur aduersarijs pugnare, ipsi expediunt. Sed parum æqui iudices sunt, nam doni vocabulū omittunt, omittunt & fontes totius negocij, & excerpunt vocabulū mercedis, idq; acerbissimè interpretantur, non solū contra scripturam, sed etiam contra sermonis consuetudinem. Hinc ratiocinantur, quia merces nominatur, igitur opera nostra sunt eiusmodi, quæ debeant esse precium, pro quo debetur vita æterna. Sunt igitur digna gratia & vita æterna, nec indigent misericordia, aut mediatore Christo, aut fide. Planè noua est hæc Dialectica: vocabulum audimus mercedis, igitur nihil opus est mediatore Christo, aut fide habente accessum ad Deum propter Christū, non propter opera nostra, Quis nō videt hæc esse ἀνακόλυθα? Nos nō rixamur de vocabulo mercedis. De hac re litigamus, Vtrū bona opera, per se sint digna gratia & vita æterna, an verò placeant tantū ppter fidem, quæ apprehendit mediatore Christū? Aduersarii nostri nō solū hoc tribuunt operibus, quod sint digna gratia & vita æterna, sed fingunt etiam, quod merita supersint sibi, quæ donare alijs,



& iustificare alios queant, vt cum Monachi suorum  
ordinum merita vendunt alijs. Hæc portentosa Chryso-  
stomo more coaceruant, hac vna voce mercedis audita.  
Merces appellatur, igitur habem<sup>9</sup> opera quæ sunt præ-  
cium, pro quo debetur merces, Igitur opera per se  
non propter mediatorem Christum placent. Et cum alius  
alio plura habeat merita, Igitur quibusdam superflua  
merita. Et hæc merita donare alijs possunt, isti qui me-  
rentur. Mane lector, nondum habes totum Soriten. Ad-  
denda sunt enim certa sacramenta huius donationis  
mortuis induitur cucullus, &c. Talibus coaceruationibus  
beneficium Christi, & iustitia fidei obscurata sunt.  
Non mouemus inanem *λογομαχίαν* de vocabulo mer-  
cedis. Si concedent aduertarij, quod fide propter Chris-  
tum iusti reputemur, & quod bona opera propter  
idem placeant Deo, de nomine mercedis postea non  
valde rixabimur. Nos fatemur vitam æternam merce-  
dem esse, quia est res debita, propter promissionem, non  
propter nostra merita. Est enim promissa iustificatio,  
quam supra ostendimus proprie esse donum Dei, Et  
huic dono coniuncta est promissio vitæ æternæ, iuxta  
illud: Quos iustificauit, eosdem & glorificauit, Hæc  
pertinet quod Paulus ait: Reposita est mihi corona ius-  
titia, quam reddet mihi Dominus iustus iudex, &c. Debetur  
enim corona iustificatis propter promissionem. Et  
hanc promissionem scire sanctos oportet, non vt pro-  
pter suum commodum laborent. Debent enim labo-  
rare propter gloriam Dei, sed ne desperent in afflictio-  
nibus, scire eos oportet voluntate Dei, quod velit eos  
adiuuare, eripere, seruare. Et si aliter perfecti, aliter in-  
firmi audiunt mentionem pœnarum & præmiorum. Nam  
infirmi laborant sui commodi causa, Et tamen prædi-  
catio præmiorum & pœnarum necessaria est. In prædi-  
catione pœnarum ira Dei ostenditur, quare ad prædicationem  
pœnitentiæ pertinet. In prædicatione præmiorum

gratia



gratia ostēditur, Et sicut scriptura sæpe mentione bonorum operum fidem complectitur, Vult enim complecti iustitiam cordis cum fructibus, Ita interdū cum alijs præmijs, simul offert gratiam, vt Esa. 58. & sæpe alias apud Prophetas. Fatemur & hoc, quod sæpe testati sumus, quòd etsi iustificatio & vita æterna ad fidem pertinent, tamen bona opera mereantur alia præmia corporalia & spiritualia, & gradus præmiorū, iuxta illud: Vnusquisq; accipiet mercedem iuxta suum laborem. Nam iustitia Euangelij, quæ versatur circa promissionem gratiæ, gratis accipit iustificationem & viuificationem, Sed impletio legis, quæ sequitur fidem, versatur circa legē, in qua non gratis, sed pro nostris operibus offertur & debetur merces, Sed qui hanc merentur, prius iustificati sunt, quàm legē faciunt, Itaq; prius sunt translati in regnum Filij Dei, vt Paulus ait, & facti cohæredes Christi. Sed aduersarij, quoties de merito dicitur, statim transferunt rem à reliquis præmijs, ad iustificationem, cū Euangelium gratis offerat iustificationem ppter Christi merita, non nostra, & merita Christi communicantur nobis per fidē, Cæterū opera & afflictiones merentur, non iustificationem, sed alia præmia, vt in his sententijs merces operibus offertur: Qui parçè seminat, parçè metet, & qui largiter seminat, largiter metet. Hic clarè modus mercedis, ad modum operis confertur. Honora patrē & matrem, vt sis longæuus super terrā, Et hinc proponit lex certo operi mercedem. Quanquam igitur legis impletio meretur mercedem, propriè enim merces ad legem pertinet, tamen meminisse nos Euangelij oportet, quod gratis offert iustificationem propter Christū, Nec legem prius facimus, aut facere possumus, quàm reconciliati Deo, iustificati, & renati sumus. Nec illa legis impletio placeret Deo, nisi propter fidem essemus accepti, Et quia homines propter fidem sunt accepti, ideo illa inchoa-



ta legis impletio placet, & habet mercedem in hac vita & post hanc vitam. De nomine mercedis pleraque alia hic etiam dici poterant ex natura legis, quae, quae longiora sunt, alio in loco explicanda erunt.

Verum urgent aduersarij, quod proprie mercedem vitam aeternam bona opera, quia Paulus dicit Rom. Reddet unicuique secundum opera eius. Item, gloria, honor, & pax omni operanti bonum. Iohan. 5. Qui bonum fecerunt, in resurrectionem vitae. Matth. 25. Et deditis mihi manducare, &c. In his locis & similibus omnibus, in quibus opera laudantur in scripturis, necesse est intelligere, non tantum externa opera, sed etiam cordis, quia scriptura non loquitur de hypocritis, sed de iustitia cordis cum fructibus suis. Quoties autem fit mentio legis & operum, sciendum est, quod non fit excludendus Christus mediator. Is est enim finis legis, & ipse inquit: Sine me nihil potestis facere. Ex hoc Canone diximus supra, iudicari posse omnes locos operibus. Quare cum operibus redditur vita aeterna, redditur iustificatio, quia neque bene operari possunt homines, nisi iustificati, qui aguntur Spiritu Christi. Nec sine mediatore Christo & fide placent bona opera iuxta illud: Sine fide impossibile est placere Deo. Cum dicit Paulus, Reddet unicuique secundum opera eius, intelligi debet non tantum opus externum, sed tota iustitia, vel iniustitia. Sic gloria operanti bonum hoc est, iusto, Deditis mihi manducare, Fructus & testimonium iustitiae cordis, & fidei allegatur, Redditur igitur vita aeterna iustitiae. Ad hunc modum scriptura simul complectitur iustitiam cordis cum fructibus. Et saepe fructus nominat, ut ab imperitis magis intelligatur, & ut significet requiri nouam vitam & regenerationem, non hypocrisis. Fit autem regeneratio de in poenitentia. Nemo sanus iudicare aliter potest



nec nos aliquam otiosam subtilitatem hinc affectamus  
 ut diuellamus fructus a iustitia cordis, si tantum ad-  
 uersarij concesserint, quod fructus propter fidem &  
 mediatorem Christum placeant, non sint per sese di-  
 gni gratia & vita aeterna. Hoc enim reprehendimus in  
 aduersariorum doctrina, quod talibus locis scripturae  
 seu Philosophico seu Iudaico more intellectis abolent  
 iustitiam fidei, & excludunt mediatorem Christum, Ex  
 his locis ratiocinantur, quod haec opera mereantur  
 gratiam, alias de congruo, alias de condigno, cum vi-  
 delicet accedit dilectio, id est, quod iustificent, & quia  
 sint iustitia, digna sint vita aeterna. Hic error manife-  
 ste abolet iustitiam fidei, quae sentit, quod accessum ad  
 Deum habeamus propter Christum, non propter o-  
 pera nostra, quae sentit, nos per Pontificem & media-  
 torem Christum adduci ad Patrem, & habere placat-  
 um Patrem, ut supra satis dictum est, Et haec doctrina  
 de iustitia fidei, non est in Ecclesia Christi negligenda,  
 quia sine ea non potest officium Christi conspici, &  
 reliqua doctrina iustificationis, tantum est doctrina le-  
 gis. Atqui nos oportet retinere Euangelium & doctri-  
 nam de promissione propter Christum donata. Non  
 igitur litigamus in hoc loco de parua re cum aduersa-  
 rijs. Non quærimus ociosas subtilitates, cum repre-  
 hendimus eos, quod docent vitam aeternam mereri  
 operibus, omissa hac fide, quae apprehendit mediatore-  
 rem Christum. Nam de hac fide, quae credit nobis Pa-  
 trem propicium esse propter Christum, nulla apud  
 scholasticos syllaba extat. Vbiq; sentiunt, quod sumus  
 accepti, iusti propter opera nostra, vel ex ratione fa-  
 cta, vel certe facta inclinante illa dilectione, de qua di-  
 cunt. Et tamen habent quaedam dicta, quasi apophthe-  
 smata veterum autorum, quae deprauant interpre-  
 ando. Iactatur in scholis, quod bona opera placeant  
 propter gratiam, Et quod sit confidendum gratiae Dei.

Hic



Hic interpretantur gratiam habitum, quo nos diligimus Deum, quasi verò voluerint dicere veteres, quod debemus considerare nostra dilectione, quæ quædam exigua, quam sit imunda, certè experimur. Quamvis hoc mirum est, quomodo isti iubeant considerare dilectione, cum doceant, nesciri utrū asit. Cur non enuntiant hic gratiam, misericordiam Dei erga nos. Et quæ sit mentio huius sit, addere oportet ut fidem. Non enim apprehenditur, nisi fide, promissio misericordie reconciliationis, dilectionis Dei erga nos. In hac sententiam rectè dicent, confidendum esse gratiam, plene bona opera propter gratiam, cum fides gratiam apprehendit. Iactatur & hoc in scholis, valere bona opera nostra, virtute passionis Christi. Rectè dicitur, Sed non addunt de fide? Christus enim est propitiatus, Paulus ait, per fidem. Cum fide eriguntur paucæ conscientie, & sentiunt peccata nostra deleta esse merito Christi, & Deum nobis reconciliatū esse propter passionem Christi, tum verò prodest nobis passio Christi. Omittatur doctrina de fide, frustra dicitur opera valere virtute passionis Christi. Et pluraq; alias sententiae corrumpunt in scholis, propterea quia non tradunt doctrinam fidei, & fidem intelligunt tantum notitiam historiam seu dogmatum, non intelligunt hanc virtutem esse, quæ apprehendit promissionem gratiæ & iustitiæ, quæ vincit car corda in terroribus peccati & mortis. Cum Paulus inquit: Corde creditur ad iustitiam, Ore fit confessio ad salutem. Hic fateri aduersarios existimamus, quod confessio ex opere operato non iustificet aut laudem. Sed tantum propter fidem cordis, Et Paulus sic loquitur quod confessio saluet, ut ostendat, qualis fides contemetur vita æterna, nempe firma & efficax fides. Non autem firma fides, quæ non ostendit se in confessione, cetera bona opera placent propter fidem, sicut & cetera rationes Ecclesiæ rogant, ut omnia sint accepta propter



Christum. Item perunt omnia propter Christum. Constat enim semper in fine peccationum addi hanc clausulam, per Christum Dominum nostrum, Ideo concludimus, quod fide iustificemur coram Deo, reconcilemur Deo, & regeneremur, quæ in penitentia apprehendit promissionem gratiæ, & verè viuificat perterritam mentè, ac statuit, quod Deus sit nobis placatus ac propitius propter Christum. Et hac fide, ait Petrus, nos custodiri ad salutem, quæ reuelabitur. Huius fidei cognitio Christianis necessaria est, & vberimam affert consolationem in omnibus afflictionibus, Et officium Christi nobis ostendit, quia isti, qui negat homines fide iustificari, negant Christum mediatorum esse ac propitiatorum, negant promissionem gratiæ & Euangelium. Tantum docet aut doctrinam rationis, aut legis, de iustificatione. Nos quantum hic fieri potuit, ostendimus fontes huius causæ, & exposuimus ea, quæ aduersarij obijciunt, Quæ quidè facile dijudicabunt boni viri, si cogitabunt, quoties citatur locus de dilectione, aut operibus, legem non fieri sine Christo, nec nos ex lege, sed ex Euangelio, hoc est, promissione gratiæ, in Christo promissæ iustificari. Et speramus hanc, quamvis breuem disputationem, bonis viris ad confirmandam fidem, ad docendam & consolandam conscientiam, vtilem futuram esse. Scimus enim ea, quæ diximus, consentanea esse scripturis Prophetis & Apostolicis, sanctis Patribus, Ambrosio, Augustino, & plerisque alijs, & vniuersæ Ecclesiæ Christi, quæ certè confitetur Christum esse propitiatorem, & iustificatorem. Nec statim censendum est Romanam Ecclesiam sentire, quidquid Papa, aut Cardinales, aut Episcopi, aut Theologi quidam aut Monachi probant. Constat enim Pontificibus magis curam esse dominationem suam, quam Euangelium Christi, et plerisque compertum est palam Epicuræos esse, Theologos constat plura ex Philosophia admiscuisse



doctrinæ Christianæ, quàm satis erat. Nec auro-  
 horum videri debet tanta, vt nusquam dissentire ad  
 putationibus eorum liceat, cum multi manifesti er-  
 res apud eos reperiantur, vt quòd possimus ex pu-  
 naturalibus Deum super omnia diligere. Hoc dog-  
 peperit alios errores multos, cum sit manifestè falsum.  
 Reclamant enim vbiq; scripturæ, sancti Patres, &  
 omnium piorum iudicia. Itaq; etiamsi in Ecclesia Pon-  
 tifices, aut nonnulli Theologi, ac Monachi docuerunt  
 remissionem peccatorum, gratiam & iustitiam per  
 opera, & novos cultus quærere, qui obscurauerunt  
 Christi officium, & ex Christo non propiciatorem  
 iustificatorem, sed tantum legislatorem fecerunt, qui  
 sit tamen apud aliquos pios semper cognitio Christi.  
 Porrò scriptura prædixit fore, vt iustitia fidei hoc  
 do obscuraretur per traditiones humanas, & doctri-  
 nam operum, Sicut Paulus saepe quæritur, cur quæ  
 que fuisse, qui pro iustitia fidei, docebant homines  
 opera propria & proprios cultus, non fide, pro  
 Christum reconciliari Deo, & iustificari, quia ho-  
 mines naturaliter ita iudicant, Deum per opera placen-  
 dum esse. Nec videt ratio aliam iustitiam, quàm ius-  
 titiam legis ciuilitè intellectæ. Ideo semper existerunt  
 in mundo, qui hanc carnalem iustitiam solam docerent,  
 oppressa iustitia fidei, & tales doctores semper  
 inuenti sunt etiam. Idem accidit in populo Israël. Maxima  
 populi pars sentiebat se per sua opera mereri remissionem  
 peccatorum, cum labant sacrificia, & cultus.  
 Contra Prophetæ damnata illa opinione, docent  
 iustitiam fidei. Et res gestæ in populo Israël sunt ex-  
 empla eorum, quæ in Ecclesia futura fuerunt. Itaq;  
 perturbet pias mentes multitudo aduersariorum  
 nostram doctrinam improbant. Facile enim iudicium  
 spiritu eorum potest, quia in quibusdã articulis  
 perspicuam & manifestam veritatem damnauerunt.



malam appareat eorum impietas. Nam & Bulla Leonis  
X. damnauit articulum maximè necessarium, quem om-  
nes Christiani teneant & credant, videlicet, Non esse  
confidendum, quòd simus absoluti propter nostram  
contritionem, sed propter verbū Christi, Quodcunq;  
ligaueris, &c. Et nunc in hoc conuentu autores con-  
iurationis damnauerunt apertis verbis hoc, quòd fi-  
dem diximus partem esse pœnitentiæ, qua consequi-  
mur remissionem peccatorum, & vincimus terrores  
peccatorum, & conscientia pacata redditur. Quis au-  
tem non videt hunc articulū, quòd fide consequamur  
remissionem peccatorum, verissimum, certissimum, &  
maximè necessarium esse omnibus Christianis? Quis  
ad omnem posteritatem audiens, talem sententiam  
damnata esse, iudicabit autores huius. condemnati-  
onis vllam Christi notitiam habuisse? Et de spiritu eo-  
rū coniectura fieri potest ex illa inaudita crudelitate,  
quā constat eos in bonos viros plurimos hactenus  
exercuisse. Et accepimus in hoc conuentu, quendam  
Reuerendum Patrem in senatu imperij, cū de nostra  
confessione sententiæ dicerentur, dixisse, nullum sibi  
consilium videri vtilius, quā si ad confessionē, quam  
nos exhibuissemus atramento scriptam, sanguine re-  
scriberetur. Quid diceret crudelius Phalaris? Itaq;  
hanc vocem nonnulli etiam Principes iudicauerunt  
indignam esse, quæ in tali confesso diceretur. Quare et-  
iam si vindicant sibi aduersarij nomen Ecclesiæ, tamen  
nos sciamus, Ecclesiam Christi apud hos esse, qui Eu-  
angelium Christi docent, non qui prauas opiniones  
contra Euangelium defendunt, sicut inquit Dominus:  
Oues meæ vocē meā audiunt. Et Augustinus ait: Que-  
rere est, vbi sit Ecclesiā? Quid ergo facturi sumus? In ver-  
bis nostris eā quæ situri sumus, an in verbis capitis sui  
Dñi nostri Iesu Christi? puto quòd in illius verbis quæ-  
rere debemus, quæ veritas est, & optimè nouit corpus suū.



Proinde non perturbēt nos iudicia aduersariorū, cuius  
humanas opiniones contra Euangelium, contra aucto-  
ritatem sanctorum Patrum, qui in Ecclesia scripserunt  
contra piarum mentium testimonia defendunt.

## DE ECCLESIA.

**S**EPTIMUM articulum confessionis nostrae de-  
monstrauerunt, in quo diximus Ecclesiam esse congrega-  
tionem sanctorum. Et addiderunt longā decla-  
rationem, quod mali non sint ab Ecclesia segregandi  
cū Iohannes comparauerit Ecclesiam arcam, in qua  
tritricum & palea simul coaerata sint. Et Christus  
comparauerit eam lagenam, in qua pisces boni & mali  
sunt, &c. Profecto verum est, quod aiunt: Nullum in  
mediū esse aduersus Sycophantæ morsum. Nihil tam  
circumspectè dici potest, vt calumniam euitare queat.  
Nos ob hanc ipsam causam adiecimus octauum arti-  
culum, ne quis existimaret nos segregare malos & hy-  
pocritas ab externa societate Ecclesiae, aut adimere sa-  
cramentis efficaciam, quæ per hypocritas, aut malos  
administrantur. Itaque hic non est opus longa defen-  
sione aduersus hanc calumniam. Satis nos purgat arti-  
culus octauus. Concedimus enim, quod hypocritæ  
mali in hac vita sint admixti Ecclesiae, & sint membra  
Ecclesiae secundum externam societatem signorum  
Ecclesiae, hoc est, verbi, professionis, & sacramentorum  
praesertim si non sint excommunicati, Nec sacramentorum  
ideo non sunt efficacia, quia per malos tractantur, Im-  
rectè vti possumus sacramentis, quæ per malos admini-  
strantur. Nam & Paulus praedicit futurū, vt Antichri-  
stus sedeat in templo Dei, hoc est, in Ecclesia dominica  
& gerat officia. At Ecclesia, non est tantum societas  
externarum rerum ac rituum, sicut alia politica. Se-  
principaliter est societas fidei & Spiritus sancti, in con-